



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens primos 25. Psalmos

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, [1761]

VD18 15558428-001

Psalmus XVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53377)



bona æterna tribuantur, impiis bona terræ, quæ veluti de thesauro abscondito Dei singulis annis emanant; & hanc partem suam esse dicunt.

✱. 16. *Saturati sunt filii, & dimiserunt reliquias suas parvulis suis.*

Abundant filiis, & iis post mortem relinquunt bona sua residua. Hæc ipsorum est felicitas, ut ipsi, & hæredes bonis circumfluant.

✱. 17. *Ego autem in justitia tua apparebo conspectui tuo, satiabor cum apparuerit gloria tua.*

Hæc est divisio, quòd illi saturati cupiant bonis hujus vitæ; ego autem, uti & cæteri justii, esuriam justitiam, justè coram Te vivam, & cum postea mihi apparebit gloria, tum demum verè satiabor, nihil ampliùs expetens.

PSALMUS XVII.

Titulus, & argumentum: *In finem, Pueri Domini David, qui locutus est Domino verba Cantici hujus, in die, quòd*

eri-



eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum ejus, & de manu Saul, & dixit.

Hic idem Pfalmus est L. 2. Reg. C. 22., paucis mutatis; quam mutationem fecerit David, an Esdras, incertum est. Quia verò David Christi figuram gessit, potest Pfalmus hic etiam de Christo rectè exponi.

✠. 1. *Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.*

Meritò Te diligere debeo ob tot beneficia, à Te accepta: hæc primò exprimit uno verbo: *fortitudo mea*, causa totius roboris, quo de hostibus triumphavi: Dein tribus nominibus: *firmamentum meum*, cùm in tuto sim; in periculo *refugium*; cùm fortè in manus hostium incidam, *liberator meus*: ultimò rerum gestarum enarratione.

✠. 2. *Deus meus, adjutor meus, & sperabo in eo.*

✠. 3. *Protektor meus, & cornu salutis meæ, & susceptor meus.*



Jam ex vehementiâ affectûs in Deum, inculcat epitheta benefactoris sui. Quia *adjutor*, ideo firmamentum est, seu præbet, ne cadat; & jure addit: *Sperabo in eo*: quia *protector*, ideo *refugium* est: quia *cornu salutis*, ideo liberator est, seu Davidem, & quemvis justum facit robustissimum contra omnes hostes. Illud *susceptor meus* complectitur prædicta omnia.

✠. 4. *Laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis salvus ero.*

Conclusio quædam superiorum est: Ego deinceps assiduè Deum laudabo pro tot acceptis beneficiis, & magnâ fiduciâ in tribulationibus meis, eundem Deum invocabo, & sinè dubio à quibuscunque hostibus liberabor.

✠. 5. *Circumdederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conurbaverunt me.*

✠. 6. *Dolores inferni circumdederunt me: præoccupaverunt me laquei mortis.*

Incipit narrare accepta beneficia.
Dum



Dum Saul eum persequeretur, fuit in apertissimo vitæ periculo, quod variis metaphoris describit. *Circumdederunt* &c. cum affectus sum tali dolore, quali afficiuntur, qui mortem vident sibi imminere. *Torrentes* &c. multitudo impiorum me invaserunt, & turbarunt, ut conturbari solent, qui à torrente aquarum deferuntur, & circumvolvuntur. Dolores *inferni*, vel mortis idem est: nam præsertim ante Christi Passionem, idem erat mori, & descendere ad infernum, h. e. vel ad locum damnatorum, vel ad Purgatorium, vel ad Limbum. *Præoccupaverunt* &c. tendebantur mihi insidiæ ad mortem.

✠. 7. *In tribulatione mea invocavi Dominum, & ad Deum meum clamavi.*

✠. 8. *Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam, & clamor meus in conspectu ejus, introivit in aures ejus.*

In tanto periculo, & angustiis constitutus, per orationem confugi ad Deum, in quo tota mea fiducia posita esse



folet. Cetera significant, orationem Davidis, coram Deo magno affectu prolatam, à Deo in Cælo fuisse exauditam

ψ. 9. *Commota est, & contremuit terra: fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt, quoniam iratus est eis.*

Incipit poëticè describere effectum exauditionis, qui fuit auxilium de Cælo adversùs inimicos suos, ex quorum interitu ipse tandem non solum pericula evasit, sed etiam regnum adeptus est. Iram Dei describit in terrâ, aëre, & aquâ: incipit à terrâ, & sensus est: talis est ira Dei, ut possit continuò tremefacere terram usque ad ima fundamenta.

ψ. 10. *Ascendit fumus in ira ejus, & ignis à facie ejus exarsit, carbonēs succensi sunt ab eo.*

Si Deus velit ostendere præsentiam suam in terrâ, ira ejus, seu facies, terram respiciens, non solum facit eam tremere, sed fumare, ardere, ac si totam in carbonēs ardentēs converteret.

ψ. 11.



v. 11. *Inclinavit Cælos, & descendit caligo sub pedibus ejus.*

Jam metaphoricè describit, quæ in aëre fiant, si Deus iram, vel præsentiam suam demonstrare vult. *Inclinavit &c.* demissâ nebulâ, quæ est quasi pars Cæli, per eam se manifestavit. *Et caligo &c.* ita Deus in nebulâ habitavit, quasi caliginem sub pedibus haberet. Ordinaria Dei manifestatio facta est per nebulam.

v. 12. *Et ascendit super Cherubim, & volavit, volavit super pennas ventorum.*

Pergit in effectibus iræ Divinæ in aëre, & proponit Deum, quasi armatum. Deus dicitur ascendere super Cherubim, & volare super pennas ventorum, quia utitur ministerio Angelorum in movendis nubibus, quæ sunt veluti currus aërei, qui trahuntur à ventis, velut equis pennigeris; ac per hoc non ambulant, sed volant. Porrò in nubibus Deus parata habet jacula, seu fulmina in impios.

v. 13. *Et posuit tenebras latibulum suum,*



*suum, in circuitu ejus tabernaculum
ejus: tenebrosa aqua in nubibus
aeris.*

Ne putemus Deum in nubibus visibilem, iis, velut Symbolo, demonstrat Deum invisibilem esse. *Et posuit* &c. latet in tenebrosis nubibus, velut in loco abdito; quæque sunt velut tabernaculum, quo Deus tegitur; & hoc tabernaculum est nubes tenebrosa, qualis est, cum est proximè disposita, ut in aquam convertatur, & pluat.

ψ. 14. *Præ fulgore in conspectu ejus
nubes transierunt, grando, & car-
bones ignis.*

Declarat, quomodo Deus ex nubibus, quasi ex curribus suis armatis pugnet, ac dicit, jubente Deo, imò ad solam præsentiam ejus, nubem scindi, inde prodire grandinem, fulgura instar carbonum ignitorum. *Præ fulgore* &c. quasi nubes ferre non possit Dei fulgorem intus latentem; ideòque in conspectu Dei rumpatur.

ψ. 15.



✧. 15. *Et intonuit de Caelo Dominus, & altissimus dedit vocem suam, grando, & carbones ignis.*

Dicit idem, quod antè. Fragor ille vox Dei est, tum quia Deus illius causa est; tum quia sonus tam ingens, & terrificus, ex quo procedunt grando, fulmina quasi carbones igniti, soli Deo tribuendus videtur, quasi propria ejus vox.

✧. 16. *Et misit sagittas suas, & dissipavit eos, fulgura multiplicavit, & conturbavit eos.*

Superiora explicat, & docet, quomodo Deus per crebra fulgura impios dissipet, & conturbet.

✧. 17. *Et apparuerunt fontes aquarum, & revelata sunt fundamenta orbis terrarum.*

Hic loquitur de mirabili operatione Dei in aquis. Jussu Dei, siccatis aquis, apparuit fundus fluminum, imò maris, ut factum in mari rubro, Jordane; &



sic *revelata* &c., discoopertæ partes imæ orbis terrarum.

ψ. 18. *Ab increpatione tua Domine, ab inspiratione Spiritus iræ tuæ.*

Dat causam exsiccationis aquarum. Ventum, cujus ministerio siccatae sunt aquæ, vocat spiritum iræ Dei, & increpationem Dei.

ψ. 19. *Misit de summo, & accepit me, & assumpsit me de aquis multis.*

A ψ. 9. ad hunc ψ. dicta declarant potentiam Dei; nunc redit ad beneficia. Misit manum suam ex alto loco usque in profundum torrentis, indè accepit me, & de aquis multarum tribulationum mirè me liberavit.

ψ. 20. *Eripuit me de inimicis meis fortissimis, & ab his, qui oderunt me, quoniam confortati sunt super me.*

Antè metaphoricè, nunc propriè loquitur: quia inimici mei erant robustiores me, ideo tuo auxilio opus erat ad me liberandum.



✠. 21. *Prævenērunt me in die afflictionis meæ, & factus est Dominus protector meus.*

Hic, & ✠. seq. repetit beneficium Dei. Nullâ injuriâ à me laceſſiti, vel antequam præcavere poſſem, me ſunt adorti, ut nocerent; ſed Dominus vigilavit, & fecit, ut eorum diligentia mihi nocere non poſſet.

✠. 22. *Et eduxit me in latitudinem, ſalvum me fecit, quoniam voluit me.*

Liberatum me de anguſtiis tribulationum, quaſi in latum campum eduxit, ubi liber ſum à metu inſidiatorum: quia ob miſericordiam, quâ me dilexit, placuit ei me liberare.

✠. 23. *Et retribuet mihi Dominus, ſecundum juſtitiam meam, & ſecundum puritatem manuum mearum retribuet mihi.*

✠. 24. *Quia cuſtodivi vias Domini, nec impiè geſſi à Deo meo.*

✠. 25. *Quoniam omnia judicia ejus*
in



*in conspectu, meo, & justitias ejus
non repuli à me.*

✧. 26. *Et ero immaculatus cum eo,
& observabo me ab iniquitate mea.*

✧. 27. *Et retribuet mihi Dominus
secundum justitiam meam, & secun-
dum puritatem manuum mearum
in conspectu oculorum ejus.*

Uti jam factum est, ita etiam in fu-
turum, confidit, se perpetuò liberandum
ab inimicis, etiam ex eo, quòd justè vi-
xerit, & vivere deinceps in animo ha-
beat: Deus justus justos amat, juvat,
protegit. *Secundum puritatem &c.*, non
solum cor justum, sed etiam justa ope-
ra habeo.

✧. 28. *Cum sancto sanctus eris, &
cum viro innocente innocens eris.*

✧. 29. *Et cum electo electus eris, &
cum perverso perverteris.*

Ratio, cur David ob suam justitiam
à Deo speret auxilium. Alloquitur De-
um, & fatetur, eum unicuique secun-
dum opera sua redditurum. *Cum san-
cto*, hebraicè, pio, misericordi ages piè,



ac misericorditer: *cum innocente &c.*, ei, qui nulli nocet, nec tu nocebis, nec ei noceri fines: *cum electo &c.*, cum sincero, & candido sincerè, & candidè ages: *cum perverso &c.* qui secus fecerit, & fuerit immisericors, damnosus, talem te sentiet, & dolosum callidè, seu sapienter supplantabis.

ψ. 30. *Quoniam tu populum humilem saluum facies, & oculos superborum humiliabis.*

Duos præcedentes ψ. ψ. explicat: ut cum pio ages piè, ita humilem salvabis &c. Nominat *oculos*, quia in his, & potissimum in superciliis arrogantia cernitur.

ψ. 31. *Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas.*

Laudavit antè justitiam suam; jam laudat ejus authorem. *Tu illuminas solus oculum cordis mei*, ut agnoscat vera bona; & falsa à bonis discernat. Dein petit ulterius illustrari, & expelli tenebras.



✧. 32. *Quoniam in te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar mutuum.*

A Te accepi non tantùm lumen ad agnoscenda bona, sed & robur ad ea facienda, & vitanda mala. *In te*, fretus auxilio tuo: *in Deo*, h. e. in Te omnia potero, licèt difficillima.

✧. 33. *Deus meus, impolluta via ejus, eloquia Domini igne examinata, protector est omnium sperantium in se.*

Ratio, cur in Deo fidat. *Impolluta &c.* Deus meus, qui operatur justissimè, *eloquia &c.*, cujus promissio certissima est, & probatissima, sicut aurum igne examinatum, ille est *protector &c.*

✧. 34. *Quoniam quis Deus præter Dominum? aut quis Deus præter Deum nostrum?*

Iterum ratio, cur fidat Deo: quia ipse est solus verus Deus, à quo bona omnia sunt; &, qui in alio confidit, certò confundetur.

✧. 35.



✠. 35. *Deus, qui præcinxit me virtute, & posuit immaculatam viam meam.*

Refert dona accepta in particulari; primò robur, & innocentiam, quæ duo rarissimè conjunguntur. *Præcinxit* &c. viribus ac robore me donavit. *Et posuit* &c. simul probitatem vitæ mihi concessit. Præ innocentia noluit hostem suum Saulem occidere, cum facilè posset.

✠. 36. *Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum, & super excelsa statuens me.*

✠. 37. *Qui docet manus meas ad prælium, & posuisti, ut arcum æreum, brachia mea.*

Declarat jam fortitudinem suam, de quâ ✠. 35. Summâ celeritate pedum facilè montes altissimos conscendit, ut factum est, dum Saulem fugiens, habitavit in altissimis montibus. Artem manuum ad præliandum testatur lapis ex fundâ in fronte Goliath infixus: de æreis propè viribus brachiorum testes sunt ursi, & leones ab eo interfecti.

✠. 38



v. 38. *Et dedisti mihi protectionem
salutis tuæ, & dextera tua suscepit
me.*

Declarat jam innocentiam suam, de
quâ *v.* 35. Quia dono Dei innocenter
vivebat, ideo eum Deus protegebat. *Et
dedisti* &c. rota illa fortitudo parum pro-
fuit, nisi adfuisset protectio Dei sal-
vans, & dextera Dei suscipiens, & su-
stentans.

v. 39. *Et disciplina tua correxit me
in sinem, & disciplina tua ipsa me
docebit.*

Hoc pertinet ad innocentiam ejus.
Disciplina. diligens meditatio legum tua-
rum me semper direxit, ne errarem, &
semper diriger.

v. 40. *Dilatasti gressus meos subtus
me, & non sunt infranata vestigia
mea.*

Pergit narrare victorias suas, quæ
sunt beneficia Dei. *Dilatasti* &c. fecisti
me magnis passibus progredi, nec ideo
fatigatus desini à cursu.

v. 41.



✠. 41. *Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non convertar, donec deficiant.*

✠. 42. *Confringam illos, nec poterunt stare, cadent subtus pedes meos.*

Dilatasti gressus &c. ut antè; & ideo, magnâ spe conceptâ, dixi apud me: *Persequar inimicos &c.*

✠. 43. *Et præcinxisti me virtute ad bellum, & supplantasti insurgentes in me subtus me.*

Victorias suas Deo adscribit. *& præcinxisti &c.* Tu enim robore me donasti ad bellum, & inimicos meos subtus me cadere fecisti. Præcipua arma non sunt gladius, & lorica, sed robur, & vires: qui hominem his dotibus induit, author est victoriæ.

✠. 44. *Et inimicos meos dedisti mihi dorsum, & odientes me disperdidisti.*

Idem aliter repetit, ut magis laudet beneficium Dei. Tu fecisti, ut inimici mei fugerent, & sic dorsum ferendum præberent.

H

✠. 45.



ψ. 45. *Clamaverunt, nec erat, qui salvos faceret, ad Dominum, nec exaudivit eos.*

Addit aliam causam victoriæ. Deus exaudivit preces Davidis, sed non adversariorum ejus, licet ad Deum clamarent.

ψ. 46. *Eripies me de contradictionibus populi, constitues me in caput gentium.*

Vel verbum futurum est pro præterito, more Hebræis satîs usitato, quia David jam erat Rex; vel significatur continuatio beneficii, ut sensus sit: eripies me à rebellionibus, & constitues in folio meo, si fortè dejici ab eo cõtingat.

ψ. 47. *Populus quem non cognovi, servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi.*

ψ. 48. *Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt, & claudicaverunt à semitis suis.*

Ratio, cur petat eripi de contradictionibus populi sui. *Populus*, Gabao-nitæ, Getæi, & alii, quos non cognovi pro fratribus, cùm essent gentiles, promp-



promptissimè mox audito imperio obedierunt. *Filii autem alieni*, h. e. adulterini, quoad mores, deceperunt me, ficto corde servierunt: *inveterati* &c. defluerunt à me ut folia arentia, non rectè, & fideliter mecum inceserunt.

✠. 49. *Vivit Dominus, & benedictus Deus meus, & exaltetur Deus salutis mee.*

Conclusio Psalmi: nunc apparuit Dominum vivere; & sic semper vivat; *exaltetur* à author salutis mee.

✠. 50. *Deus qui das vindictas mihi, & subdis populos sub me, liberator meus de inimicis meis iracundis.*

Exaltetur Deus, qui vindicavit injurias mihi factas, subjecit mihi populos rebelles; liberavit me de infidiis, & impetu inimicorum furentium, quales fuerunt Saul, & Absalon.

✠. 51. *Et ab insurgentibus in me exaltabis me, à viro iniquo eripies me.*

Precatur sibi continuationem Divinorum beneficiorum, scil. exaltari se ab insurgentibus in se, ut frustra nitantur,



cum pertingere tam altè non possint; & liberari ab omni homine iniquo.

v. 52. Propterea confitebor tibi in nationibus Domine, & nomini tuo psalmum dicam.

Ideo laudabo Te & clam, & palam, ut omnes discant fidere in Deo.

v. 53. Magnificans salutes Regis ejus, & faciens misericordiam Christo suo David, & semini ejus usque in seculum.

Conclusio: Dominus augeat, & multiplicet salutem corporis, & animæ, & omnium rerum Regis ejus, sui, quem ipse Deus sibi elegit: faciat perpetuam misericordiam Davidi, quem ungi jussit in Regem, & omnibus successoribus ejus in æternum. Quæ precatio impleta est in Christo JESU Domino nostro.

PSALMUS XVIII.

Titulus: *in finem Psalmus David.*

Argumentum est laudatio Divinæ legis: hanc comparat cum celesti corpore, quo
nihil